


PROPOSITIO II.

DUÆ CHORDÆ ÆQUALES CRASSITIE, QUARUM una alterius sit dupla, incitatae necessario producent Diapason, sive Octavam, & æquali duratione temporis sese unient.

Sint verò jam duæ chordæ A C. & B C. quarum hæc ad illam sit in proportione dupla. Dico, incitatarum sonos non jam æquali sed inæquali tempore unitum iri. Quoniam enim uti chorda ad chordam, ita æqui-diurnitas unius motûs ad æqui-diurnitatem motûs alterius scilicet incitatarum chordarum sequetur necessario chordam B C. duplo celerius diadromos suos conficere, quàm suos conficiat chorda A C.



Diapason
quomodo
in dupla
proportione
sonoribus
unientur.

Incitentur enim duæ chordæ eodem tempore, chorda quidem A C. in G. & B C. in F. transibit necessario chorda A C. totum spacium G O. semel, dum interim chorda B C. ex F. pervenerit in D. tunc itaque illa in O. velut in termino, & hæc in D. tanquam in fluxu existente, nulla quoque fiet sonorum unio, quando igitur chorda B C. pertigerit in V. chorda A C. eodem tempore pertinget in F. & ibi utriusque chordæ terminum consecutæ, hæc in V. illa in S. soni ex actu aëris causati primi sese uniant perfectè. Cùm verò chorda B C. duplo velocius currat chordâ A C. necessario una ad alteram in unione sonorum sonabit Diapason sive Octavam. Diapason igitur causatur ex unione sonorum inæquali tempore fluentium; quod erat demonstrandum: Sed hæc aliter demonstremus.

Alia